



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita Ioannis Berchmanni Flandro-Belgæ Religiosi Societatis Iesv

Cepari, Virgilio

Antverpiæ, 1630

In dissecto corpore nihil fellis reperitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46083](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46083)

Romæ asperitatum frequentatione, perfectâ domestici ordinis obseruatione, assiduâ animi exercitationibus, scientiarum virtutumque studio adeò macie extabuit, vt priscam sui similitudinem vix referret; neque pingue quidquam corpusculo eius inhæreret, quinimò omentum ipsum, quo intestina continentur, quod adipe plenum vulgò esse solet, in eo repertum grandi macie torridum: quo colligebant anatomices periti, victurum eum diu non fuisse. Cor autem, cum multo abundaret sanguine, argueretque, indole fuisse sanguineâ, id quoque virtuti eius tribuendum est, quòd ab ijs vitijs propensionibusque absuerit longissime, quæ huiusmodi ferè constitutionis hominibus adhærescere consueuere.

Extractum est cor, seruatumque, ac post menses aliquot in Flandro-Belgium asportatum; vbi venerationi habetur in Collegio Louaniensi. Templi Ædili cupido incessit explorandi an placidissima illa suauitas, mansuetudoque Ioannis, ex ipso corporis habitu nasceretur. Quæsito ergo per Chirursum felle, folliculus eius tam inanis repertus est, vt nec fellis indicium vllum superesset; quo nempe carere columbam hanc felicissimam decebat. Fuit denuò indutus vestibus, loculoque impositus; ac sequenti die (qui Sabbatinus

tinus erat, peruigilium Virginis assumptæ) tanti, præter ceteros, honoratissimorum hominum, Episcoporum, Præfulum, Aulicorum, illustriumque Matronarum conuentus ad videndum facti sunt, vt ante vesperum terræ mandari non permiserit eorum pietas ac religio singularis; ac tum deprehensum, non solum resectas ei vestium esse partes, sed vngues etiam, & capillos, vnumque digitum pedis, præterquam quòd in discessu aliquid ei auferre singuli Reliquiarum loco conarentur. Denique vt Sabbato natus, ita nocte Sabbati, ligneo tymbo compositus, inscriptione plumbeæ laminæ incisâ; Ædilis ipsius manibus recenti sepulchro, in Sacello beati Aloysij, in quo ad eum diem nemo conditus erat, tumulatus fuit; exinde in alterum commune sepulchrum translatus est ad Sacellum sanctæ Crucis, in quo annos olim aliquot iacuerat B. Aloysij corpus.

Protinus accensa est multorum pietas ad inuocandam eius in rebus aduersis opem, cœpitque visitantium honorantiumque concursu tumulus frequentari; ac manè quotidie à viris matronisque religiosis, ipso concursus tempore, floribus herbisque odoriferis aspergebatur. Fuere initio Viri illustrissimi, qui super sepulchro eius genibus nixi orabant, saxumque exosculati, aliquid sibi